

super igne, quousq; fluant: Certa sua virtus erit duplicata in tinctura, cum omnibus suis perfectionibus, sicut videbis in proiectione, quia pondus quod proieciatur super mille, tunc proiecitur super duo millia: Et in ista multiplicatione non est magnus labor.

Secundus modus multiplicandi suas virtutes est maioris precij, quia si distilles quālibet speciem illarum singulariter, & in sua aqua per inhumationem, postmodum separabis elementa per distillationem, in recipiendo primo aquam, postmodum aerem, & manebit sua substātia terræ fixa, tota clara in forma pulueris, reduc in illam aquam per distillationem, quousque totum biberit, & sit tota fixa in terra, & postmodum imbibe totum cum suo oleo & cum sua tinctura, quousque sit bene fixum, & fundatur totum sicut cera. Et de illa medicina proiece vnum pondus super corpus quod volueris conuertere, & inuenies certe suam tincturam multiplicatam de centum partibus, per talem modum &c.

Iterum multiplicatur medicina dupliciter.

Solutione caliditatis, vel solutione raritatis. Solutione caliditatis, est, vt accipias medicinam in vase vitreo impositam, & eam sepelias in igne nostro humido septem diebus vel amplius, donec medicina soluatur in